PETRUS LOMBARDUS. BANDINUS. INNOCENTIUS III. PAPA
Österreich, 12. Jh. Seite 105r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Voluntas enim generandi in patre
& ipse genitus simul ab eterno sunt
sicut aug. dicit. filius dei semper fuit cum
patre. non precessit eum paterna uolun-
tas ut esset. Secundum hoc quod dicimus
quia non est filius uoluntate. sed na-
tura. sicut pater deus est natura. non uoluntate
filius et & spiritus sanctus. Quod quia euno-
mius intelligere non potuit. nec credere
uoluit. unigenitum dei dixit. non nec
sed uoluntatis filium esse. Sane huius
dialetica ridenda est ut aug. ait.
Tenendum itaque est quod non uolunta-
te genuit filium. quia uoluntas
generandi filium non precessit. nec neces-
sitate. ne absurde loquamur
de deo. sed natura genuit. Est enim ut hy-
larius ait. natura filius. quia eandem naturam
quam ille qui genuit habet.

Utrum filius potuit generare.

Cum pater & filius una eademque sint
essentia ut dictum est. tenendum quoque
est unam & eandem utriusque esse poten-
tiam. Est enim ibi omnino idem esse
quod posse. Unde constat quicquid potest
pater. & filius quoque potest. Verum
de hoc difficilis oritur questio. Si
enim quicquid pater potest. & filius. ergo
potest filius generare. quia pater hoc
potest. Quod similitudine in-
firmatur. quicquid enim pater est. & filius est. ergo
filius est pater. quia pater est pater. Quod non
sequitur ideo scilicet quia patrem esse
patrem. non est patrem esse aliquid. Sic
forte non infideliter dicitur patrem
posse generare. non est patrem posse
aliquid. Quippe sicut pater. ita & generare.
ad relatiuum pertinet. Vehementius
sana urgetur questio ex uerbis aug. con-
tra maximinum hereticum. qui patrem
asserebat esse filio potentiorem eo quod
pater potuit generare. et genuit
filium deum creatorem. filius autem non. Cui
aug. Absit ut omnipotentior sit
pater filio. sicut putas. quia creatorem
genuit pater. filius autem non genuit
creatorem. neque enim non potuit. sed non
oportuit. Quod si diligenter adten-
dis dicere uidetur quod potuit ~~quod~~ filius
generare. sed non oportuit. Unde cur
non oportuit subdit ~~aug.~~ Est enim
inquid inmoderata diuina generatio.
si genitus filius nepotem gigneret pater.
quia et ipse nepos nisi auo suo pronepotem
gigneret. secundum nostram mirabilem
sapientiam impotens dicetur. Simi-
liter etiam ille si nepotem auo. & non
gigneret pronepotem pro auo. non dicetur
a uobis omnipotens. nec impleretur generationis
series si semper alter ex altero non nasceretur.
nec enim eam perficeret ullus. si non sufficeret
unus omnipotens. Sic ergo intel-
ligendum putamus quod premissum est. scilicet
non enim non potuit sed non oportuit.
idem non ex impotentia est quod filius non
genuit. sed quia ei non conueniebat ratione
scilicet que dicta est. Sicut pater non est filius.
nec filius pater. nec esse potest. quod non ex impo-
tentia alter utrius est. sed quia non conuenit
pater esse filium. aut filio esse patrem.
quod ~~aug.~~ dicit maximino querenti
quare pater non potest esse filius